

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Georgii Calixti S. Theol. D. ... De Praecipuis Christianae
Religionis Capitibus Disputationes XV.**

Calixt, Georg

Helmestadii, 1658

VD17 VD17 3:303575N

Disputatio VI. De praedestinatione

[urn:nbn:de:bsz:31-128662](#)

CXIX. Venialia igitur peccata hoc sensu sunt in renatis motus pravi, quibus voluntatem non permittunt succumbere; imò ipsa quæ regnare patiuntur, modò ad pœnitentiam revertantur, qualia fuerunt adulterium & homicidium Davidis. Ne autem concupiscentijs succumbamus hortatur Paulus, ubi ait: *Non regnet peccatum in mortali vestro corpore.* Item venialia sunt peccata non renatorum quæcumque, si convertantur, doleant & Christum fide amplectantur.

CXIX. Quoniam verò expiari, remitti & deleri non est de essentiâ ullius peccati, neque ullum peccatum necessariò consequitur, satis constat omne peccatum suâ naturâ mortale esse, nullum yeniale, nisi ex accidente.

CXX. Postremò de peccato in Sp. sanctum monobimus, quod irremissibile esse suprà dictum est. Est autem tale peccatum voluntaria & perseverans veritatis cognitæ inficiatio & persequutio. Hoc clarè colligitur ex Matth. xii, Marc. iii, & Luc. xii, quibus in locis Servator hujus peccati meminit & remissibile esse negat. De eodem intelligenda sunt loca in Epist. ad Heb. c. vi, v. 4, & seqq. & c. x, v. 26.

PECCA-
TUM IN
S.P.S.

DISPUTATIO VI.

DE PRÆDESTINATIONE.

THEISIS I.

Superiore disputatione ostensum fuit, in quas quantumque per lapsum primorum parentum devenerimus miserias, quarum quidem aliæ connascantur, aliæ è connatâ radice pullulent, & à nobis metipsis superaddantur:

118 DE PRÆDESTINATIONE.

tur: nunc quod non per alias nostras vires, sed per unius DEI misericordiam è tantis malis liberari possumus, ex disputationibus quæ proximè excipiunt, de Prædestinatione & Justificatione, sive ~~et~~ patebit.

II. Acturi autem de Prædestinatione, principio eam discriminabimus à Præscientiâ & Providentiâ, ne errorem pariat confusio.

PRÆSCI-
ENTIA
DEI

Dan. 13, 4.
Eccl. 23, 29.

PROVI-
DENTIA
DEI

PRÆDE-
STINATIO
NIS
Cap. 6, 8
Heb. 1, 3.

III. Præscientiam dicimus, quâ Deus omnia, quomodo, ubi, quando futura sint, novit.

IV. Quamquam si propriè loquamur, impropriè tam ~~τελείωσιν~~ quam ~~τηγανών~~ tribuimus temporum domino, legibus temporum libero, apud quem nec futurum cuius præcognitio, nec præteritum cuius habeatur memoria: sed cuncta præsentissima, quæ uno simplicissimo actu simul & semel ab æterno intuetur. More tamen humano, respectuque rerum quæ fiunt, eas *antequam finiant præscire*, & *post consummationem respicere* dicitur. Atque *omnia antequam crearentur cognovisse*, quia æternitas in quâ cognoscit, antiquior omni tempore, & conceptio operis in animo architecti prior effectu.

V. Providentia est illa divinæ Voluntatis actio, quæ semel conditum & constitutum ordinem universi in universis tuetur, hominum actiones probas adjuvat, pravas positis metis coercet, cuncta dirigendo in sui gloriam, piorum salutem, impiorum poenam.

VI. Prædestinationem vocamus electionem filiorum Dei ad vitam æternam.

VII. Quid & in quo una ab alterâ differat, videre est. Præscientia versatur circa omnia; nudam innuit noticiam, nec causam, nec actionem: Providentia itidem circa omnia naturæ & voluntatis opera; verum simul conveni-

sed per
ari possi-
unt, de
principio
ia, ne er-
ua, quo-
propri
domino,
um cu-
memor-
cissimo
e tamen
quam fi-
ur. At-
ternitas
nceptio
is actio,
iversi in
djuvar,
fui glo-
nem fi-
t, videre
nuit no-
a itidem
m simul
conveni-

DE PRÆDESTINATIONE.

119

convenientem eorum gubernationem ponit: Prædesti-
natio non nisi electos respicit, & salutis ipsorum causa est.

IX. Decretum verò (neque enim ejus explica-
tio hoc loci prætereunda) actio est divinæ voluntatis de-
cernens aliquem eventum, qui quidem à solo isto decre-
to dependeat, atque ita sit necessarius non absolute ve-
rū consequenter. Exempla sunt in missione Filij &
resuscitatione mortuorum.

IX. Sed ad ipsam Prædestinationem, quam Di-
vus Paulus Ele^tionem adpellat plerumque: Scriptura
alibi librum vitæ, atque inde electos in libro vitæ scri-
ptos, Dan. xii, 1. Philip. ix, 3. Psalin. LXIX, 29.

X. Est vero singularis emphasis in vocabulo *prædesti-
nationis*, ut & in græco τὸν ἐποιητὴν, quod quum à οὐρανῷ
descendat, & hoc iterum ἀπὸ τῆς ὥρας, destinationem ad fi-
nem sive terminum innuit, neque non mentione finis
media ad eum ducentia. Non igitur frustra est, quod
jam frequentius hoc vocabulo utitur Ecclesia: nec Apo-
stolo tamen insolente. Immò Ephes. i, v. 4 & 5, ita lo-
quitur, ut pro eodem habeat eligere & prædestinare.

XI. Quamquam illud isto latius patet. Nam ac-
cipitur quoque pro vocatione ad externum aliquod mi-
nisterium ut Ecclesiasticum ita & Politicum. De tribu
Levi: *Ipsum elegit Dominus Deus tuus è cunctis tribubustuis* Deut. 8, 5.
ad standum & ministrandum nomini Domini. Samuel
de Saule: *Num vidistis quoniam elegerit Dominus?*
Salvator vocavit discipulos suos, & elegit ex ipsis
duodecim, quos & Apostolos nominavit. Aliquando
denotat illam gratiam, quā Deus aliquam præ cæ-
teris gentem insigni sui manifestatione dignatur. Deut.
IV, 36.

DECREE-
TUM DI-
VINUM.1. Sam. 10,
24.
Luc. 6, 13.

120 DE PRÆDESTINATIONE.

iv, 36; & vili, 6. Aliquando probationem alicujus rei
Jes. lix, 6. Nonne hoc est jejunium, quod elegi?

Rom. ii, 7. XII. At in disputationibus Paulinis pro eo, quod
nos jam tractamus, salvandorum proposito accipitur: &
per metonymiam pro ipsis electis, (ut alibi Circumcisio
pro circumcisione) quando videlicet dicitur: *Electio quod
quærebat consequata est.*

XIII. Strictius igitur vocabulum Prædestinationis & significantius, atque, quod notandum, nusquam
in sacris literis sinistrius usurpatur.

XIV. Ut autem hoc divinæ voluntatis mysterium
secundum gratiam nobis notum factum, prout notum
factum est, ex S. Scripturâ ejus voluntatis indice conser-
deremus; primò quidem veram & sinceram doctrinam
finitione includemus, deinde adstruemus, atque eadem
operâ adversarias machinationes destruemus.

XV. Est itaque Prædestination sive Electio actio
divinæ voluntatis, quâ ante constitutionem mundi se-
cundum beneplacitum gratiæ suæ ad vitam æternam
ordinavit, quotquot practicavit in Christum, virtute Spi-
ritus Sancti, per prædicationem Evangelij credituros, &
in eâ fide perseveraturos, ad declarandum divitias gloriæ
gratiæ suæ in vas a misericordia.

1. Dico esse actionem divinæ voluntatis. Et hujus ad-
servationis fundum do Apostolum, qui ait nos prædestina-
tos secundum propositum ejus, qui omnia operatur secundum con-
silium voluntatis suæ. Eph. i, 11.

2. Atque hoc factum esse ~~οὐ ταπειθαῖς κόσμος~~ ibidem
docet v, 4.

3. Neque id secundum opera, sed secundum benepla-
citum gratiæ suæ, II Tim. i, 9. non secundum opera nostra, sed
secun-

secundum proprium propositum & gratiam datum nobis in Christo Iesu ante tempora secularia. Rom. xi, 5. Reliquæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratiæ, non jam ex operibus. Ephes. ii, 8. Non ex operibus, ne quis glorietur. Tit. iii, 5. Non ex operibus justitiae quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos fecit nos. Rom. ix, 12. Non ex operibus, sed ex vocante. Nam non est volentis neque currentis sed misericordis Dei, v, 16. 1 Joan. iv, 10. In hoc est caritas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos.

4. Prædestinati verò dicimur & ordinati ad vitam æternam, Act. xiii, 48; sive quod idem est, ad gloriam, Rom. i, ix, 30; ad salutem, II Thessal. ii, 13. Quæ respectu nostri finis ultimus: sed & intermedium docetur Ephes. i, 4. Elegit nos ut essemus sancti & irreprehensibilis coram ipso in caritate. Item: In adoptionem filiorum per Christum, in quo habemus redemtionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. Unde utrumque complexi Schola stici prædestinationem non malè describunt præparationem gratiæ in præsenti & gloriæ in futuro.

5. Ulterius dico, quos præscivit, etiam prædestinavit, ut Paulus Rom. ix, 29 scribit. Item Petrus priore suâ c. l. Electis, κατὰ τὰ προφητεῖαν τὴν πατρὸς.

6. Quotquot, inquam, præscivit in Christum credituros. Hæc videlicet gratia extra Christum consideranda non est. Quare ut ab illâ absoluto decreto natus nemo excluditur, modò credat: ita nec includuntur sine discrimine omnes, fideles & infideles. Sed hoc in sequentibus clare declarabitur.

7. Qui verò credunt, nequaquam per suas vires credunt, Ephes. ii, 8; Joan. vi, 65: sed virtute Spiritus sancti.

Q. Unde

122. DE PRÆDESTINATIONE.

Unde & Petrus & Paulus eligi nos scribunt *etiam apud m-*
ueros, 1 Pet. 1,2; 11 Thes. 11,13.

8. Is tamen fidem, quamquam primaria fidei causa,
non per motus aut raptus inopinos efficit, sed per ordi-
narium medium, hoc est, per prædicationem Evangelij. Vo-
cavit vos, inquit Apostolus, per Evangelium nostrum. At-
que hinc alio loco: *Fides ex auditu; at auditus per verbum*
Dei.

9. Sed quum fidem multi amittant, addo, *in ea fide*
perseveraturos, juxta illud Servatoris apud Matth. x,22;
& xxiv, 12; & Marcum xiiii, 13. *Permanens in finem hic*
servabitur. Et in Apocal. 11,10. *Esto fidelis usque ad mortem,*
& dabo tibi coronam vitæ.

10. Quæ, ut dixi, finis est respectu prædestinatorum:
at prædestinantis respectu finis est *laus gloriae gratiaæ suæ*.
Ephes. 1, 6; & 11, 7. Rom. ix, 23.

XVI. Atque ita quid prædestinatio sit, immò qui
prædestinati sint, docuimus. Ex Scripturâ quidem, &
sine corruptelis; verùm, quam nefarie corrumpant, qui
variè in diversas partes abeunt, patebit. Ut enim tam
necessarium articulum integrum & illibatum habeamus,
impietatemque profanorum, qui in eum protervè arie-
tant, arceamus, immota fundamenta jacientes partitè
singula lustrabimus.

XVII. Et primò clarius est quā solis radj effe olim,
cum sedum est, solent, in Deo Opt. Max. contrarias volun-
tates statui non posse, non debere. Deus enim non fo-
ret, si sibimet contradicat, si

Composita dicta ex pectore evolvat suo,
Quæ cum componas, dicta fæcis discrepent.

XVIII. Itaque pro veritate & voluntate Dei sim-
plice,

DE PRÆDESTINATIONE. 123

plice, immotâ & sibi constante, Scripturam testem audiamus. 1 Sam. xv, 29. *Triumphator in Israël non mentietur & non pœnitabit.* Mal. III, 6. *Ego Dominus, non mutor.* Rom. III, 4. *Est Deus verax, omnis autem homo mendax.* Jac. 1, 57. *Apud patrem luminum non est transmutatio aut vicissitudinis adumbratio.*

XIX. Sed & ingratiam eorum qui acutiores videri volunt, anxieque inter consilium & voluntatem distinguunt, & urgent aliud promissum esse, aliud beneplacitum, plura adscribo. Ipse Jehovah eos redarguit per Prophetam: *Consilium meum stabit, inquit, ut omnem meam voluntatem faciam.* Et per Davidem: *Non prophâabo dictum meum & egressum labiorum meorum non mutabo.* Neque non per Bilham: *Non est homo Deus ut mentiatur, & filius hominis ut pœniteat eum, an ipse dixit & non faciet? & locutus est, & non stabiliet illud?* Apostolus apertissimè eos confundit. *Fidelis Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non factus est Etiam & Non. Nam Dei Filius in vobis per nos prædicatus, non factus est Etiam & Non: sed Etiam in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Etiam, & in illo Amen.* Quid porrò: Quæ illi à voluntate beneplaciti distinguere & voluntatem signi adpellare solent, verbum & promissiones hic Etiam & Non fieri negantur, adeoque in Christo firmatae & obsignatae probantur.

XX. Hisce ratis, porrò probabimus hanc esse seriam Dei voluntatem, ne quis omnino pereat, verum salvetur omnes. Neque eam probabimus ex infinitâ bonitate, quæ compati nequeat propositum aliquod, quo ad extremum malum destinentur homines: sed potius diffundat & communicet se cum omnibus. Ipsi Deo de sua voluntate testanti & juranti credamus saltem.

Q 2

Vero
ego

DE ABSOLUTO

124

Ezech. 33, 11 ego, inquit, si volam mortem impij, quin imò avertai se impius à via sua, & vivet. Credamus Filio sanctè adfirmanti Joan. 6, 40. hanc esse voluntatem Patris sui, ut omnis videns Filium, & credens in eum, habeat vitam æternam. Item Apostolis, Petro 2. Pet. 3, 9. primùm, cuius sunt hæc: Non tardat Dominus promissionem, non volens ullos perire, sed omnes ad penitentiam tendere. Deinde & Paulo idem ijsdem penè verbis adserenti. Deus, 1 Timoth. 2, 4. inquit, omnes homines vult servari & ad agnitionem veritatis pervenire.

ABSOLU-
TUM DEI
DECREE-
TUM.

Inst. I, 3, c.
21, §. 7.

Chr. quæst.
& respons.

vinus; æterno videlicet & immutabili consilio Deum semel constituisse, quos olim semel adsumere vellet in salutem, quos rursum exitio devovere. Hoc consilium quoad electos in gratuitatæ ejus misericordiæ fundatum esse adserimus, nullo humanæ dignitatis respectu; quos vero damnationi addicit, his justo quidem & irreprehensibili sed incomprehensibili ipsius judicio vita aditum præcludi. Dicit & Beza Prædestinationem esse æternum & immutabile decretum, ordine antegrediens omnes salutis & damnationis causas, quo Deus constituit, in aliis quidem in Christo & merè gratiâ servandis, in aliis vero in Adamo & semetipſis justo judicio damnandis glorificari.

I.2. de gr. &
lib. arb. c. 16.

XXII. Et quid dicam de Bellarmino? Admititur ille probare singulari capite, causam reprobationis impiorum partim ad solam Dei voluntatem, partim ad peccata prævisa referendam esse. Probatio hujusmodi: Dicimus reprobationem duos actus comprehendere, alterum negativum, alterum positi-

positivum. Primum enim non habet Deus voluntatem illos salvandi, deinde habet voluntatem eos damnandi. Et quidem quod attinet ad priorem adum, nulla datur ejus causa ex parte hominum, sicut neque praedestinationis. Posterioris autem datur causa praevisio peccati. Agnoscimus geminos actus, verum mente potius quam reipsa distinctos. Nam qui negat salutem, ponit damnationem, neque enim datur tertium. Quare si negativi nulla causa ex parte hominum, nulla etiam positivi: quum sit unus & idem, nec ab invicem nisi cogitatione separentur. Bellarminus itaque in eodem luto, quo Calvinus: quod ingenue quoque fatetur, scilicet se credere, Deum absolutam oculum: alios non velle salvare.

ibid. c. 8.

XXIII. Verum accensâ divini verbi luce, scindit se nubes, & in æthera purgat aperatum. Eam adeo splendidam nunc proferemus, ut oculorum aciem præstringat in acie hostibus. Ipse Jehovah apud Prophetam: Numquid volendo volo mortem impij? Nonne si aversus fuerit à viis suis & vivet? Item: Nolo mortem mortui. Quid clarius? Non vult mortem ne quidem impij & mortui.

Ezech. 18,

29.

v. 32.

XXIV. Et hinc promissiones de gratia universales, ita ut ab ea neminem mortalium sejungant. Joël. III, 5. Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Matth. XI, 28. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Joan. I, 2. Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri, creditibus in nomine ejus. C. III, V. 16. ut omnis qui credit in eum, non pereat. Item c. V, V. 24; & c. VI, V. 40. Act. X, 43. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. Rom. XI, 32. Conclusit Deus omnes in incredulitatem, ut omnium misereatur. Tit. II, II. Apparuit gratia Dei salutifera omnibus hominibus. Quomodo quæso

Q. 3

de o-

de omnibus verè hæc enuncientur, nisi Deus omnes velit servare, nullos absolutā voluntatē reprobare?

XXV. Atque hoc quia liquet, non potest non li-
quere, quod Deus ad exitium neminem creārit, adeoque
nec primum hominem ut moreretur & nos in eo omnes.
Nam contradictionem implicat; nolle aliquos perire, &
aliquos in eum finem condere, ut pereant. Deinde
quomodo præstantissimum suum opus præstantissimus
opifex odio habeat, qui ipse omnem artificem naturali-
ter opus suum diligere voluit? Verū Scripturam con-
sulamus, quæ ait: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum.* Minimè gentium igitur
ad inobedientiam, injusticiam, mortem. Et falsum for-
ret, si quidquam Deus ad damnationem fecisset, hoc
quod creationis operi subjungitur epeisodion: *Vidit Deus omne quod fecerat, & ecce valde bonum.* Quomodo
ehim valde bonum, quod damnandum? Sapiens egregiè
nobis suffragatur: *Deus, inquit, mortem non fecit, nec latet
in perditione vivorum.* Item: *Nihil abominaris eorum quæ
fecisti, neque enim odiens aliquid constituiſti.*

Gen. 1, 27.

v. 31.

E. 1., x. 13.

C. II., v. 25.

Inst. I. 3, c.

22, §. 5.

c. 32, §. 6.

de prædest.

cont. Ca-

stell.

Coll. Mom.

Gloss. ad

I. Pst. 3.

vino, cui non pari conditione creatur omnes: sed alijs vita
æterna, alijs damnatio æterna præordinatur. Item: *Nascun-
tur inter homines ab utero certæ morti devoti.* Neque cum
Beza, qui scribit, *Deum ab æterno nonnullos condere con-
stituisse, in quorum justo exitio justitiae sue gloriam patefaciat,
ob eamque cauſam omnes exitio destinatos non posse non suo
tempore perire.* Et, proposuisse reprobos in hunc finem creare,
ut in ipsis iram & justitiam suam ostenderet. Et, sic visum esse
Domino, nonnullos ad hoc ipsum condere, *ut in eorum justa con-
demnatione Filius Dei glorificetur,*

XXVII.

DEI DECRETO.

127

XXVII. Fecimus quoque antè mentionem lapsus primorum parentum, de quo tam manifesta veritas, quād aduersiorum blasphemia, ex ipsorummet scriptis obiter ostendenda. Calvinus Inst. lib. III, c. XXIII, §. IV.
Quum in suā corruptione pereunt, nihil aliud quād pēnas luunt ejus calamitatis, in quam ipius praedestinatione lapsus est Adam. Et §. VII. *Disertis verbis hoc ipsum existare negant, decretum fuisse à Deo, ut suā defectione periret Adam.* Quasi verò ambiguo fine condiderit nobilissimam è suis creaturis? Paullò post: Iterum quero unde factum est, ut tot gentes unā cum liberis eorum infantibus aeternæ morti involveret lapsus Adæ absque remedio, nisi quia Deo ita visum est? Hic obmutescere oportet tam dicaces alioqui linguis. Decretum quidem horribile fatetur: inficiari tamen nemopotest, quin præscriverit Deus, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum condiceret, & ideo præscriverit, quia decreto suo sic ordinarat. Et §. IX. *Quanquam nec ipsum quidem per se probabile est, solā Dei permissione, nullā ordinatione hominem sibi accerisse interitum.* Item: *Cadit igitur homo, Dei providentiā sic ordinante.*

XXIX. Verū sine ratione insanire videatur, & illam ibidem addit. *Lapsus est, inquit, primus homo, quia Dominus ita expedire censuerat. Cur censuerit, nos latet.* Certum tamen est non aliter censuisse, nisi quia videbat nominis sui gloriam inde merito illustrari. Et eandem rationem seu potius cramben recoquit Beza, ubi ait: *Oportuit ergo de præd. ad Castell. Deum quoque hanc unicam viam sibi aperire; id est, Adami lapsus ordinare, sed ad eum quem dixi finem, videlicet, tum misericordiae tum severtati declarande.*

XXIX. Quasi verò Deus summè bonus & justus non fuisset, etiam si aut nihil unquam creasset, aut suam nunquam bonitatem justitiamque declarasset. Quasi verò

verò illam non abundē declararit, dum Angelos, hominem, & totū universum condidit; istam, dum nobilissimas creaturas, cœlestes spiritus, ut justissimè ita severissimè punit. Larga profectò & laxa justitia, quæ tot Angelos damnaret, & plerosque mortalium certo exitio destinaret: at arta misericordia, quæ servaret non nisi pauculos homullos. Immò quæ justitia, Adamum nihil tale meritum omnesque ejus in eo poiteros, priusquam quidquam vel boni vel mali fecerint, inevitabili decreto, contra quod nec mutare valeant, peccatis & peccatorum pœnis devovere? Næ illi, dum Justiciæ divinæ ostendenda satagunt, pro eâ extremani injusitiam obrudunt.

XXX. Ulterius qui progrediuntur & scitantur, cur Deus hominem talem, qui peccare potuerit, condiderit; cur tentari permiserit, quem temptatione superatum iri præscierit & horum similia: equidem non satis considerant profunditatem dñitiarum & sapientiæ & scientie Dei, quam incomprehensibilia iudicia ejus & imperceptigilables vice ejus.

Rom. ii, 33.

XXXI. Quamquam rationes reddi non nequeunt. Nam hominem nobilissimam creaturam esse oportuit: in hoc verò præcipua ejus nobilitas consistit, quod liberâ electione electi possit ad utrumlibet. Reliqui igitur illum in manu consily sui. Quod qui fieri debuisse negant, hominem non hominem sed brutum fieri debuisse adfirmant. At servatâ hac nobilitate & arbitrij libertate, dari nequitur homini, secundum conditionem suæ naturæ peccare non posse. Deinde qui necessitate non peccat, nequaquam suâ sponte non peccat. Spontaneam verò obœdientiam Deus requirit. Quare recte Haymo,

Ecccl. 15, 14.

Sup. Ep. ad Philem.

Cœxit hominem, inquit, ad imaginem & similitudinem suam, ut si-

ut sicut ipse voluntate est bonus non necessitate, ita & homo voluntate esset bonus non necessitate. Quoniam & tu, ait Basilius, servos non quoniam vincitos in custodia retines benevolos esse tibi existimas, sed cum sponse omnia que erga te oportet videris agere. Verum mihi deinceps tanta nō possim credere, & maxima tamen esse credere
repuhio. Chrysost. in Ep. ad Rom.

hom. quod
non Deus
auctor &c.

XXXII. Nunc ad aliud hydræ caput amputandum adcingamus necesse est. Nam Deum non tantum ad damnationem, sed etiam ad causas damnationis prædestinasse, quoscumque libuerit. verum esse agnoscit Beza, ut mirum sit, ipsum eum & alios ejusdem factio-
nis tricari & se hujus opinionis purgitare. Suppudet fortasse ab Homero, Platone, Trismegisto, ijs qui extra, blasphemiarum postulari. Sed frustra ~~adulterii~~, cum tot scriptis conati fuerint contrarium probare. Zwinglius de Esavo in hunc modum: *Moritur non potuit quem divina pro-
videntia in hoc creavit, ut viveret, atque impie viveret. A-
libi. Porro iniquitatem in se nobis ostendere numen cum nullā
ratione posset, ut quod undique verum, bonum, sanctum natura-
fit, per creaturam iniquitatis exemplum produxit, non quasi crea-
tura illam suo marte produixerit, que nec est, nec viruit, nec ope-
ratur sine nomine, sed quod numen ipsum auctor est ejus quod no-
bis est iniquitatis, illi vero nullatenus est.* Et quid aliud Calvi-
nus, postremo capite libri primi sue institutionis agit, quām ut Deum omnium malorum, peccatorum, erro-
rum auctorem faciat? Piget ea adscribere.

Elenche
cont. cata-
bapt.
Serm. de
provid.

XXXIII. Saltem quæro ad hoc Zwinglij: *Adulte-
rium aut homicidium, quantum Dei est auctoris, motoris, impulsori-
is, opus est, crimen non est, & ad hoc Calvini: Homo justo Dei
impulso agit quod sibi non licet; an non sit omnium gentium
consensu, qui alium ad opus quodcumque faciendum*

Ibid.

R

cogit

DE ABSOLUTO

130

cogit & impellit istius operis sub suâ ratione accepti primarius auctor? Certè auctoris nomen multo justius imperans quâm exsequens meretur. Iterum quæro ad hoc emblema Calvini: *Ego plus concedo: fures & homicidas & alios maleficos divinæ esse providentia instrumenta, quibus Dominus ipse ad exequenda, quæ apud se constituit iudicia, utitur.* Et ad alterum Bezae: *Sic agit per illa instrumenta, ut non tantum finat illa agere, nec tantum moderetur eventum, sed etiam excitet, impellat, moveat, regat, atque adeo quod omnium est maximum, etiam creet, ut per illa agat, quod constituit.* Quæro inquam, sitne qui utitur instrumento ad hujusmodi usum à se creato, primarius operis per instrumentum facti auctor, adeoque ipsum illud in specie intenderit?

I. 1 Inst. c.

17, §. 5.

en resp. ad

Castell.

aph. 22.

Rom. 3, 8.

XXXIV. At, ajunt, scelera non esse scelera quatenus à Dei, sed quatenus ab impiorum voluntate profiscuntur. Quæro autem, quæ in eodem opere Dei bona sit voluntas, hominis mala. Respondebunt, quia hæc corrupta, & malum finem spectat: illa bona bonum, scilicet ut commodè justiciam exerceat. Nec primum verum est de primo primi hominis peccato, quod ortum non duxit ex aliquâ præexistente naturæ corruptione. Nec alterum concederit Apostolus, docens *non esse facienda mala ut eveniant bona.* Neque enim ex intentione bona fieri possunt, quæ per se intrinsecè & ex objecto mala sunt. Deinde si Deus impellit ad peccatum, peccatum verò sine malâ voluntate non est, utique ad hanc etiam impellit. Sententiâ igitur Calvini & Bezae Deus primarius auctor omnium peccatorum.

XXXV. Quia verò qui alteri auctor est, ut peccet, continuò & ipse peccat, sequitur ex hoc profano dogmate,

dogmate, DEUM peccare. Quod quò exactius intelligas,
audi Calvinum. Omitto, inquit, h̄ic universalem Deimotio-
nem, unde creaturæ omnes, ut sustinentur, ita efficaciam quidvis
agendi ducunt. De illâ speciali actione tantum loquor, que in
unoquoque facinore apparet. Idem ergo facinus, Deo, Satanæ,
homini adsignari videmus non esse absurdum. Quum defor-
mitas quæ in peccato non possit propriè referri ad uni-
versalem caussam, concurrentem indifferenti ad hoc &
ad illud influxu, qui determinatur & modificatur demum
à causâ particulari: hujusmodi influxum removet Cal-
vinus, docetque Deum tanquam caussam particularem
malas actiones, quæ tales sunt, in specie intendere & per
sua instrumenta perficere. Ex quibus an non sequatur
Deum verè peccare: & quid? hominem absque contro-
versiâ peccando salvari, cùm faciat quæ velit eum Deus
facere; Christus verò disertè: *Qui facit voluntatem patris* Matt 7, 21.
mei qui in cælis est, hic intrabit in regnum cælorum? Ipsi in-
quam de hisce, & qui ipsos sequuntur videant.

XXXVI. Et simul quomodo hæc sibi concilient
loca Scripturæ: Deut. xxxii, 4. Ps. v, 5. Jer. xix, 5.
Hab. i, 13. I. Jo. ii, 16. Hæc consulant, & discant num
hominibus *ex Deordinatione*, sicut docet Calvinus, inji-
ciatur peccandi necessitas. Inst. 1,3,c.
23. §. 9.

XXXVII. Addimus autem nos, præ cæteris fir-
missimum, quod Dei voluntatem liquidissimè declarat,
& figmentum absoluti decreti fortissimè impugnat, id est,
Christum missum esse omnibus, & pro omnibus mor-
tuum. Nobis nōlumus credi, verūm Scripturæ. Jes. liii, 6.
Dominus posuit in eum iniquitatem omnium nostrum. Joan. i, 29.
Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. C. iv, v. 42. *Hic est
verè Salvator mundi Christus.* C. xii, v. 47. *Veni ut salvificem
mundum*

mundum. Rom. v, 18. Sicut per unius delictum in omnes homines condemnatio, sic & per unius justitiam in omnes homines justificatio vitæ. C. II, xv, 32. Proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illud. II Cor. v, 15. Unus pro omnibus mortuus est. I Timoth. II, 6. Dedit semetipsum redēptionem pro omnibus. I Joan. II, 2. Ipse propiciatio est pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Hebr. II, 9. Ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.

Coll. Mom.

XXXIX. Qui vident ex hac veritate male agi cum suo decreto, profiteri audent, Christum non pro singulis mortuum esse, sed tantum pro aliquibus, quos solos Deus salvos fieri velit. Beza ad Wurtembergicos,
Et certè, ait, nobis intolerabilis vox vestra visa est, Christum esse mortuum pro damnatis. Quà unā operā intolerabilis etiam videtur ipsi vox & Pauli & Petri, qui audiantur. Paulus ad Rom. XIV, 15. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* I Cor. IX, II. Et peribit infirmus frater in tuā scientiā, propter quem Christus mortuus est. Heb. X, 29. Quanto putatis dextiore dignus judicabitur supplicio filium Dei conculcans, & sanguinem testamenti in quo sanctificatus est, profanum ducens? Petrus postiore suā c. II, V, 1. *Inter vos erunt falsi doctores, qui introducent sectas perditionis, & illum mercatum eos Dominum negantes, accersentes sibiipsi velox exitium.*

VOCATIO
UNIVERSALIS.

XXXIX. Accedit demum pulcherrimum corollarium universalis vocationis, quā universale hoc Christi meritum Deus universis mortalibus per prædicacionem Verbi & consilij sui offert, ne quem relinquat locum sinistrè de suā in nos voluntate vel absoluto aliquo odio suspicandi. Vocationem verò universalem esse, fa-

tis

tis constat cùm ex tribus solennibus epochis, Adami, Noachi, Christi, tum ex liquidâ Scripturâ. Jes. XLV, 22. **Convertimini ad me, & salvi eritis omnes fines terræ. C. XLV,** v. 1. *Omnes ftiientes venite ad aquas, etiam qui non habet pecuniam; venite, emite & comedite, venite, emite absque argento & absque precio vinum & lac.* Matth. 11, 28. *Venite ad me omnes.* Act. XVII, 30. *Deus nunc adnunciat omnibus ubique hominibus, ut resplicant.* Matth. XXII & Luc. XIV invitantur ad cœnam & nuptias, qui venire rigidè recusant & se se frigidè excusant, immò qui adparitores contumeliâ adficiunt & interficiunt.

XL. Quâ luce nulla lux clarior, vel *medij cum solem in culmine mundi tollit anhela dies.* Quoniam igitur constat, quòd Deus secum ipse non pugnet; velit verò salvari omnes homines; adeoque nec eorum primum nec quemquam alium ad damnationem aut damnationis caussas crearit vel destinat; verùm omnibus Filium suum miserit & pro omnibus tradiderit; & per ministerium verbi omnibus obtulerit: hinc etiam *εὐτρόπη μέτρῳ* constat, absolutum decretum nullum esse, nullâ absolutâ Dei voluntate quemquam reprobari. Restat declarare, qui demum fiat, quòd quum Deus neminem perire velit, & Filius pro omnibus mortuus sit, non tamen electi sint omnes.

XLI. Verbo dicam, Incredulitas ipsorum hominum in causâ, aliud nihil. Deus enim omnibus promittit vitam, & omnes vult servari: sed in Christo & per fidem in eum; haut aliter. Hoc est ordinatâ voluntate, quæ semet ad certum ordinem & media demisit: non absolutâ, quæ per absolutam potentiam continuò velit in actum educi. Præterea scribitur, *ut omnis qui credit in*

ELUCTIO:

R 3.

cum

*eum non pereat. Joan. III, 6. & cap. I, V. 12. Quotquot re-
ceperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri credentibus
in nomine ejus. Rom. I, 16. Evangelium potentia Dei in sa-
lutem omni credenti. Excluduntur itaque ab electionis
gratiâ reprobi non aliquo decreto, sed suamet culpâ &
incredulitate, ut alibi evidentius docetur. Marci XVI, 16.
Credens & baptizatus salvabitur: at non credens condemnab-
itur. Joan. III, 18. Qui credit in eum non judicabitur: qui
autem non credit jam judicatus est, quia non credidit in nomine
unigeniti filij Dei. v. 36. Qui credit in Filium habet vitam
æternam: qui autem incredulus est Filio non videbit vitam,
sed ira Dei manet super ipsum. C. XVI, v. 8. Veniens paracle-
tus arguet mundum de peccato, quia non credunt in me. Rom.
XI, 20. Per incredulitatem defraudi sunt, tu verò per fidem
stas.*

VOLUN-
TAS DEI
DUPLEX.

XLII. Hæc ut evidenter ob oculos ponant Theo-
logi, dicunt divinam voluntatem in se quidem unam &
simplicem, ita tamen in verbo revelatam, ut ostendatur,
& quid consilij Deus in universum de omnibus habeat, &
quid statuat de ijs, qui huic consilio vel obsequuuntur, vel
repugnant.

XLIII. Quamobrem *ἐπουέννη*, antecedentem sive
primam vocant, quâ omnibus vult vitam & salutem,
ideoque quibus eò perveniat media ordinavit, quæ
omnes vult amplecti: *ἐπουέννη* verò, consequentem sive se-
cundam, quâ alios media illa sequentes salvat, alios vel
ociosè negligentes, vel malitiosè contemnentes damnat.

XLIV. Utraque ex ijs quæ dicta sunt, satis mani-
festa. Hic tantummodo notetur, subordinari sibi invi-
cem non contrariari. Nam prior respicit universos uni-
versè homines, & includit universalem Dei erga eos di-
lectionem,

lectionem, universalem eorum vocationem, universalem Christi pro eis satisfactionem: Altera ordinem quo adplicantur ista & alios resistentes alios obsequentes partite respicit. Deinde observandum, non esse distinctionem hanc heri aut hodie natam sed priscis quoque patribus usurpatam, Chrysostomo hom. *I super primum caput ad Ephesos*, & Theophylacto *ibidem*. Utitur item Damascenus *l. II de fide orthodoxâ, c. XXIX*; & Bonaventura in *compend. Theologicæ veritatis c. XXX*.

XLV. Patroni verò absoluti istius decreti, quia vident ex hoc fundamento suum validè everti, non erubescunt profiteri *tam falsum, incredulitatem esse causam* Coll. Mon. *divini* *hujus decreti de justè perdendis aliquibus, quam fal-* Pelg. *suum est prævisam fidem vel bona opera causam esse prædesti-*
nationis.

XLVI. Nos contra manifestis sacrarum litera- thef. 4r.
rum suprà citatis testimonij credimus: & quoniam ex electione gratiam & Christum excludere ijsdem prohibemur, nec fidem, sine quâ gratia & Christus adprehendi nequeunt, excludimus. Iisdem docemur, prædestinari nos *in iudeis*, in adoptionem filiorum: filios verò esse per fidem in Christo Iesu, Gal. III, 26; Joan. I, 12. Docemur etiam electos nos secundum præscientiam: & præscientiam non referri ad opera: referri igitur ad fidem, quum aliud non detur, & aliquid tamen præscitum. Docemur hanc esse voluntatem Patris, ut non nisi credentes habeant vitam æternam: neque verò credo, negaturos talem esse electionem qualis est voluntas, tale propositum qualis exsecutio. Docemur *ad servato* *sine fide* Heb. 11, 6. *placere Deo*: nec credo adfirmaturos quod electi sint, qui non placuerint. Docemur eandem rationem prædestinationis

Gal. 2, 16. nationis esse, quæ justificationis: sicut igitur nemo justificatur nisi per fidem in Christum: ita ab æterno nemo electus est, nisi fide Christum adprehensurus, nemo rejectus nisi non crediturus.

XLVII. Et sicut non justificamur propter fidem tanquam virtutem promerentem: ita neque electi sumus propter prævisam fidem, sed in fide. 11 Thess. 11, 13; in Christo, Ephes. 1, hoc est, per fidem in Christum, ut exponit Theophylactus. Et Eph. 11, 8 legitur: *Gratiâ servati estis per fidem.* Item 1 Thess. v, 9. *Positi sunus ad obtinendam salutem per Dominum nostrum Jesum Christum.* Fides itaque in electione non habet rationem impulsionis vel meriti: sed conditionis. Nam sub conditione fidei sumus electi. Quare in electione hæc tria, Gratia Dei, Meritum Christi & Fides, mutuo quadam respectu cohaerent, nunquam separanda, verum junctim consideranda, ita ut priora duo universalissima determininentur, ad homines determinante tertio. Atque id juxta propositum & voluntatem Dei hoc nobis medium, per quod servemur, dantis & ordinantis.

SAM. HU-
BERI ER-
ROR.

Rom. 8, 30.

c. 12, v. 1.
Matth. 20
& 22.

XLIX. Atque hinc videre & delere est errorem eorum, qui in alterum extremum impingunt & generali quendam electionem fingunt. Generalis illa quidem respectu omnium credentium: at partialis respectu omnium hominum, qui quia non credunt omnes, nec electi sunt omnes: quia non vocati, non justificati, non glorificandi omnes, nec electi omnes. Nam (adtestante nobis Paulo) quos prædestinavit, & vocavit, & justificavit, & glorificavit. Atque in hunc modum apud Danielem: *Salvabitur populus tuus omnis inventus scriptus in libro.* Quid? ipse Servator semel atque iterum: *Multi vocati, pauci electi.*

elecli. Et clarè in Apocalypsi: Mirabuntur habitantes super terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi. Sed mittamus, quos sua absurditas, adeoque ipsum Electionis vocabulum abundè redarguat.

XLIX. Et pergamus declarare, quod non nisi hominum incredulitati accepta referenda tot hominum damnatio. Verum enim verò, quia verum est, incredulos omnes reprobari: & præterea verum est quod scribit Paulus, *& πάντας οὐ πίστιν*. Neque non alio loco: *Gratiā servati es̄t per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum es̄t.* Item: *Vobis donatum es̄t pro Christo, non solum in eum credere, sed & pro illo pati.* Videtur hinc colligi causam damnationis referendam ad absolutam voluntatem Dei, qui fidem quam solus dare possit, plurimis quos damnaturus est, dare nolit.

L. Ut hisce quoque sua constet veritas, repetendum ex ijs, quæ superius dicta sunt, Deum serio velle omnes salvos, atque ideo etiam fidem amplecti. Verum sicut illud non vult absolutâ voluntate, secundum quam omnia quæ voluit, fecit; ita neque istud: sed utrumque ordinata, ad statuta media semet demittente. Quemadmodum igitur ad salutem viam & medium statuit Fidem: sic ad fidem Verbum & ejus auditum. Unde consequitur, quemadmodum salutem creditibus, ita Fidem eum dare velle audientibus: & quemadmodum salutem infidelibus, ita fidem negitare inobedientibus, verbum negligenteribus, & Spiritui sancto fidem operaturo resistentibus.

LI. Ut & hic commodè adhiberi possit distinctio voluntatis antecedentis & consequentis. Illius nimirum, quæ omnes vult credere, atque ideo universalia ad credendum media omnibus ordinavit, & universalis Evangelij præ-

^{c. 17. v. 3.}
2. Thes. 3. 2.

Ephes. 2. 8.

Phil. 1. 29.

VOLUN-
TAS DEI
ANTECE-
DENS.

138

DE ELECTIONE.

CONSE-
QUENS.

lij prædicatione omnes vocavit. Istius, quæ fidem me-
dia ista amplectentibus donat, adspernantibus & ociosè
vel indebet adplicantibus denegat.

LII. Et hinc evidenter ostenditur, vocationem
nullo modo inefficacem esse, quò ad Deum: sed ipsos
illos in culpā, qui obice posito prohibent, ne vocatio &
prædicatio finem quem intendunt, adsequantur.

LIII. Ante evicimus non esse in Deo voluntates
contradictorias, atque ideo impium, hypocritam eum
singere aliud extùs profitentem, aliud intus sentientem:
offerentem videlicet omnibus meritum Christi, omnes
obtestando, utid fide adprehendant; & nihilominus præ-
ciso & immoto decreto ne adprehendant carentem, atque
ita altius datâ operâ per vocationem suam miseros ho-
mines quos se liberare velle simularat, obruentem.

LIV. Et quid nisi meræ præstigiaæ hæc verba Pauli:
Act. 17, 30. Deus nunc adnunciat omnibus ubique hominibus, ut respificant,
si sensus sit quem eis adsuit Beza? Ita enim ille in glossis:
*Offertur Christus universo mundo, quod tamen rursus ita acci-
piendum erit, ut ad omnes gentes non autem ad singulos homines
referas.* Nam quomodo convenienter: *Omnes ubique homi-
nes;* Et: *Aliqui ex omnibus gentibus homines, non singuli?*

LV. Nos eis contradictorium sensum non adfin-
1 Cor. 5, 20. gamus; ut nec alteris ejusdem: *Nomine Christi legatione
fungimur, & velut Deoprecante per nos obsecramus Christi no-*
Matth. 23, 37. *mine, reconciliamini Deo.* Nec hisce ipsius Christi: *Jeru-
salem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos!* Nec
jer. 35, 15. hisce per Prophetam loquentis: *Misi ad vos omnes servos
meos Prophetas, manè surgendo & mittendo, dicens: Converti-
mini obsecro unusquisque à viâ suâ malâ.*

LVI. Neque verò tantum omnis inefficacia cul-
pam.

DE ELECTIONE.

139

pam à Deo serio vocante removet: sed nullam non in
vocatos homines transfert ipse Christus. Quoties volui,
inquit, congregare filios tuos, quemadmodum gallina congre-
gat pullos suos sub alas, & nolaistis! Et alio loco: Lux venit
in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.
Iterum alio ex Iesaiā: In crassatum est cor populi hujus, & au-
ribus graviter audierunt, & oculos suos clauerunt, ne quando
videant oculis, & auribus audiant, & convertantur, & sanem
eos. Stephanus: Vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut pa-
tres vestri, & vos. Paulus: Vobis oportebat primū loqui
verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos ju-
dicatis aeternā vitā, ecce convertimur ad gentes. Et alibi in
personā Domini ex Prophetā: Totā die expandi manus
meas ad populum non credentem & contradicentem. Legimus
quoque in Apocalypsi: Ecce sto ad ostium & pulso, si quis
audierit vocem meam, & aperuerit ostium, ingrediar ad eum,
& cœnabo cum eo, & ipse mecum.

LVII. Quamobrem trahit quidem Deus, nam nemo
potest venire ad me, inquit Christus, nisi Pater traxerit eum: Joh. 6, 44.
sed trahit volentes, ut ait Chrysostomus, non resistentes,
rebellantes, contradictentes, oculos & ostium claudentes,
quales qui vocati ad cœnam magnam ceperunt uno ore se
excusare: & qui ad regias nuptias invitati, abierunt alias
quidem in agrum, alias ad mercaturam suam: reliqui vero pre-
hensos servos ejus contumeliam adfecerunt & trucidarunt. Item
Pharisei & Legisperiti, qui consilium Dei preverunt in semet-
ipso; & quos Paulus in iniustitia beneplacitum habere dicit.
Verum quia hæc videri possunt intelligenda præcipue de
ijs, qui nimis superciliosè verbum adspicientur, & nec
auditu dignentur, porro ostendemus, etiam eos qui au-
diunt, si fide destituantur, destitui non ob denegatam

S 2

Spiri-

Matth. 23,
37.

Joh. 3, 19.

Matth. 13, 15
Marc. 4, 25.
Luc. 8, 18.

Act. 7, 5.

Act. 13, 46.

Rom. 10, 20.

Apoc. 3, 20.

Luc. 14.
Matt. 22.Luc 7, 30.
2 Thes. 2, 12.

Spiritus sancti efficaciam, sed obicem & semetipsis efficaciae Spiritus oppositum.

LIX. Multi enim audiunt quidem, sed audiunt alij peregrinâ mente & cogitationibus sevocatis deinde venit diabolus & tollit verbum è corde eorum; in quod tam
Math. 13.
Marc. 4.
Luc. 8.
 vix fuerat intromissum. Alij cum gaudio suscipiunt, sed radices non habent, qui ad tempus credunt; deinde ortâ afflictione aut persequitione statim offenduntur. Alij in spinas excipiunt, hi sun. qui audierunt, sed profecti, à sollicitudinibus & divitiis ac voluptatibus vita suffocantur, nec fructum proferunt: qualis dives ille adolescens apud Matthæum; Antipas apud Marcum; Felix & Drusilla, Agrippa & Bernice in Actis.

LIX. Hi & horum similes plurimi alij, si fide carentes verbum Dei non odorem vitæ ad vitam, sed odorem mortis ad mortem experiuntur, totum id acceptum referant sibimetipsis, objicientibus videlicet hæc Spiritui sancto obstacula, quibus remotis si intentam & constantem descendendi studio operam dedissent, semper divinam efficaciter sensissent: non quidem propter meritum hujus operæ, sed propter ordinationem Dei, cui visum fuit fidem per hæc media largiri.

LX. Explicato negocio eorum, quibus prædicitur Verbum, restare videtur nodus de ijs, quibus non prædicatur, & de ijs, quibus corruptum, humanisque additionibus vel detractionibus interruptum prædicitur.

LXI. Hic ut solvatur, & Deus extra omnem culpam non prædicati aut pravè prædicati intelligatur, adverte, quod in principio primo homini & per eum omnibus purum putum concederit: concederit eodem modo post diluvium in præcone justitiae Noacho: spreyerint

fint & amiserint Cainitæ, Chamitæ, Japhite, suâ sponte,
suâ culpâ ; nullâ Dei ordinatione.

LXII. Jam verò ejus non invidiam, sed summam
clementiam & clementissimam providentiam adverte.
Ne posteris, qui delicta majorum suorum luebant, o-
mnino aditus ad auditum, fidem & vitam præcluderetur,
populum suum stupendis miraculis corani toto orbe
(in cuius meditullio locarat) celebrem fecit, & in omni-
bus Monarchijs per omnes regiones dispersit, ut fama &
doctrina de se Deo Israëlis penetraret.

Ultra sidera, flamm cunq[ue] solem, (inolysd)
Et Nili caput, & nives Atlantis. (inolysd)

LXIII. Sed nec hoc solum. Majus & communius
incitamentum & adminiculum ad sui cognitionem venan-
dam omnibus dedit, adeoque indidit, dum *semetipsum sine* Act. 14, 17.
testimonionon reliquit : de quo Paulus Lystrenses obtestat-
tur, & ad Romanos testatur. *Quod notum est Dei*, inquit, Rom. 1, 19.
manifestum est in illis : *Deus enim eis manifestum fecit. Ipsi*
*enim in visibilia jam inde à condito mundo ex rebus factis intel-
lecta conspicuntur, sempiterna ejus tum potentia, tum divini-
tas.* Eti in hunc sensum David : *Cœli enarrant gloriam Dei,* Psal. 19, 1.
& opus manuum ejus adnuntiat firmamentum. Item : *Gene-* Psal. 145, 4.
ratio generationi narrabit opera tua. & *fortitudinos tuas ad-
nunciantur.*

LXIV. Accedit ad hasce naturales notitiæ na-
turale desiderium, quo quisque havet de Deo cognoscere,
quo sibi quisque potius bene esse cupit quam male.
Et ad hoc consensus omnium populorum de immortalitate
animæ & subsequitur poenis ac præmijs.

LXV. Nulli non igitur mortalium dati & adgnati
stimuli, quibus adigatur ad inquirendum de Deo, in-

DE ELECTIONE.

142

promtu quoque unde hauriat cognitionem & confusam
& distinctam.

LXVI. Atque hinc factum, ut nulla sit gens, è
quà nulli notitiam cultumq[ue] Dei Israëlis ambiverint:
& ambientes votorum expleti fuerint. Inspiciantur obiter
modo sacra monumenta, & affatim se offerent Job cum
suis amicis, Rex Abimelech; Mambre, Escol & Aner, filij
Heth; Jethro, Hobab, Rahab, Gibeonitæ, Ruth, Urias,
Ithai, Hiram Rex Tyri, Regina Austri, Naëman Syrus,
Ninivitæ, Nabuchodonosor, Cyrus, Darius, Ahasverus,
Babylonij, Persæ, Magi ex oriente Matth. ii; Græci qui
ascenderant ut adorarent in die festo Joh. xii, 20; Cen-
turius Matth. iix, Luc. vii; Syrophœnissa Marth. xv;
Eunuchus Candaces Reginæ Æthiopum Act. iix; Cornelius
Act. x; in Jerusalem habitantes Judæi, viri reli-
gioſi ex omni gente quæ sub cœlo est, Parthi & Medi &
Elamitæ, & inhabitantes Mesopotamiam & Cappado-
ciam, Pontuni & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Ægyptum
& partes Libyæ quæ est secundum Cyrenen, &
advenæ Romani, Cretes & Arabes, tum Iudæi tum pro-
selyti Act. ii.

LXVII. Horum qui dissimiles non tantum ope-
rat inquisitionis pepererunt, sed veritatem in injustiâ
detinuerunt, eamque adeo in ipsâ mente animi quasi
luctantem oppreserunt: suam sibimet ut oscitantiam ita
ignorantium imputent.

LXIX. Iam sub initijs Novi Testamenti, cum
Christus post oblatam Patri viçtimam, unde venerat redi-
isset, tertium toti mundo verbum concessit. Ita enim
eis quos vocatum & prædicatum ablegat, injungit: *E-*
Matt. 28,19
Marc. 16,15. *untes decete omnes gentes. Et: Euntes in mundum universum,*
prædica-

prædicare Evangelium omni creature. Cui mandato satisfa-
ctum dicit Paulus ad Colossenses. Evangelium, inquit, c. i. v. 6.
peruenit ad vos, sicut & in totum mundum & fructum profert,
& crescit. Et paulò post testatur, prædicatum omni creatu- ver. 23.
ræ, quæ sub caelo est. Item ad Romanos: In omnem terram Rom. 10. 18.
exivit sonus eorum, & in fines tuis oīcūdōne rā p̄muac̄ aūl̄d̄y.
Notentur quoque hæc Eusebij verba: Innumerabiles viri de prepar.
& mulieres, seniores & pueri, servi & liberi, nobiles atque 1. i. c. 3.
ignobiles, docti simul atque indocti, in omni ab ortu solis ad oc-
casum loco, ubi homines habitant, quotidie fermè ad percipi-
endam disciplinam Christi confluunt.

LXIX. Quæ jam gentes cœlesti hoc depositum
amiserunt, ijsdem de causis amiserunt de quibus ante
cataclysum posteritas Caini & post Noachi. Sicut
verò tunc, quos eo parentum incuria & injuria privarat,
habebant tamen, quî ducerentur & docerentur: ita nunc
quoque Ecclesiâ industri, Christianis totum orbem pera-
grantibus, igniculis innatis instigantibus nihil nisi adfe-
ctatam suam ipsius ignorantiam accusabit, qui fidem
cumque & vitam non adsequitur.

LXX. Turcæ in primis & Judæi; qui cum neutri
sacris libris deslituantur, perverso tamen & destinato
animo preferant isti nugacissimum Thalmud, illi impu-
tissimum Alcoranum: tanto interim thesauro tanquam
in terram defosso & præconceptis erroribus servire justo.

LXXI. Demùm qui inter eos, quos Christianos
utique adpellamus, hæreses sequuntur & amplectuntur,
accusent partim majores suos, passos irrepere corrupte-
las in doctrinam quam veram & sinceram acceperant;
partim doctores, seductores suos; partim semetipos,
qui in ludicris seculi negocijs non quantum lusciniæ dor-
miant,

DE ELECTIONE.

¹⁴⁴ miant, in divinis ultra Epimenidem. Semetipsos verò eò acrius, quò majora quibus ^{oī} ^{reō} liberarentur, prästo sunt adminicula, cùm divinæ literæ, quas rimari deberent & ^ā ^{reō} inspicere, tum orthodoxi, à quibus dextre imbui & institui possent, modò vellent.

LXXII. Neque verò hisce quæ dicta sunt quidquam homini adscribimus eorum, quæ propriè sunt spiritus Dei: neque quidquam humanis viribus in conversione tribuimus præter desiderium, externum cursum & ministerij obedientiam, quam non renatum & sibi relictum prästare posse constat. Naturâ enim habet ut malit salutem: quare Salvator etiam pereuntibus desiderium æternæ vitæ adscribit. *Contendite, inquit, intrare per angustam portam: quia multi, (dico vobis) quærerent intrare & non poterunt.* Potest quoque habere famem, *non famem panis neque sim aquæ, sed audiendi verbum Domini,* quam contemtoribus ejus se missurum minatur ipse. Potest habere zelum Dei sed non secundum scientiam, quod de incredulis Judeis testatur Paulus.

LXXIII. Ita non renati, Herodes observabat Joannem; *audioque eo multa faciebat, & libenter cum audiebat.* Felix cum Drusillâ uxore suâ accersuit Paulum & audivit eum de fide, quæ est in Christum. Eundem Agrippa volebat & ipse hominem audire. Hi quidem sine fructu; nam obstacula (de quibus suprà) non modò non removabant, sed ne removerentur operam dabant: at audire & studiosè audire & non impedire oportet. Cum frumento vero præceptor Sergius, qui expetrivit audire sermonem Dei licet nondum renatus; & cum vidisset quod factum fuerat, punitus scilicet divinitus Magus Elymaim, creditus percussus super doctrinâ Domini. Ad eum quoque modum

dum Berrhoënses cum omni alacritate verbum suscepérunt,^{17. ix.}
quotidiè scrutantes scripturas, si haberent se hæc ita. Multi
quidem ergo ex eis crediderunt.

LXXIV. Quamobrem non licet contra ea, quibus inefficacem vocationem à parte Dei negavimus, replicare, hominem non posse non contemnere & repellere verbum, non posse non resistere Spiritui sancto, & obiciem ponere, cùm contrarium ex Scripturâ constet. Neque licet, ut abundè probavimus, collationem fidei salvificæ ab absolutâ electione, & privationem ejusdem ab absolutâ reprobatione suspendere.

LXXV. Quodcum faciant Calvinistæ, errorem errore cumulènt necesse est, statuantque quoscumque fide & spiritu semel initiatos necessariò ita perseverare & tandem salvari: neque regenerationis gratiam unquam ullo modo eos excutere posse; neque alios accipere. Nos verò ex sacris literis, mixtis testibus exemplis & rationibus probabimus, hæc impossibile vel electos aliquando gratiâ excidere, vel renasci qui tamen postea deficiant & pereant.

LXXVI. Jehovah ad Mosen: *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo.* Apud Jezechielem: *Cum avertierit se justus à iustitiâ suâ, & fecerit iniquitates, morietur in eis: in iustitiâ quam operatus est, morietur.* Servator docet in parabolâ de quadruplici semine, quosdam cum gaudio suscipere verbum: sed radices non habere & credere ad tempus. In aliâ servum cui remissum fuerat debitum ab irato Domino tradi tortoribus, usque quo redederet universum.

LXXVII. Paulus de Judæis incredulis & credulis gentibus clarissime: *Si permanferis in bonitate; alioquin &* ^{Rom. II, 22.}

CALVINI-
STARUM
ERROR.

ELECTOS
GRATIA
EXCIDERE
POSSE.

Exod. 32, 34
C. 18. v. 24
& 26.

Match. 13

tu ex-

DE ELECTORUM.

146

^{8, 13.} tu excideris. Sed & illi si non permanerint in incredulitate, inserentur. Et eodem sensu hoc: Si secundum carnem vi-
Colos. 1, 22. xeritis, moriemini. Et ad Colossenses eodem: Reconcilia-
 vit vos in corpore carnis suæ per mortem, ut fissat vos sanctos
 & inculpatos & irreprehensos coram se: si tamen permanetis
 in fide fundati & firmi, nec dimovemini à spe Evangelij. Ad
1 Epist. 4, 1. Timotheum: Spiritus disertè dicit, quia in novissimis tem-
 poribus desciſiēti quidam à fide, attingentes spiritibus erro-
2 Pet. 1, 9. ris, & doctrinis dæmoniorum. Petrus: Cui non präfō sent
 hæc, (pietas, caritas videlicet, & quæ enumerarant) cæcus est,
 muonāzor, oblitus purgationis veterum suorum delictorum. Item:
2, 20. Si postquam inquinamenta mundi per agnitionem Domini & ser-
 vatoris Iesu Christi effugerint, his rursus implicati superentur,
 facta est ultima eorum conditio deterior priore. Sola Episto-
 la ad Hebræos contradicentium oravela x̄áλ̄va obitruat
 & frenet luculentis testimonij cap. 111, v. 6 & 14;
 c. vi, v. 4, 5, 6; c. x, v. 2, 6, 29, 38.

LXXIX. Progrediamur nunc ad exempla. Pri-
 mum quod vel unum satisfecerit, primi hominis. Quæ-
 ro hic ab adversarijs, anne Adamus ad imaginem Dei
 conditus illam per peccatum mortale amiserit & gratiâ
 prorsus exciderit? Ajunt: (neque enim aliter possunt,)
 nobis quæ volumus concedunt & sese redarguunt. Ne-
 gant verò? & quemquam nostrum in Adamo mortuum
 negant, & Christum frustra mortuum adfirmant. Alterum
2 Sam. 12, 9. Aharonis idolatriæ auctoris. Tertium Davidis,
 qui vir secundum cor Dei, contemnit tamen verbum
 Domini, ut malum faceret in conspectu ejus, dum vide-
 licet in adulterium prolabitur, & destinato animo consi-
 lio que homicidium committit, X menses sine peniten-
 tiâ.

tiā transīgens. Quartum Petri, qui quamvis renatus Christum nihilominus perjurio abnegavit.

LXXIX. Atque isti quidem quos recensui, reversi sunt ad pœnitentiam: supersunt quinequā ad hanc neque ad vitam, alij, nihilominus olim renati & in gratiā. Saulelellus & bonus: & non erat vir de filii Israēl, melior ^{1 Sam 9,2} illo. Ab hoc recessit spiritus Domini & exagitavit eum Spiritus nequam. Tandem desperabundus arripuit gladium suum & irruit super eum. Salomonem dilexit Dominus: & hinc vocatum nomen ejus, Amabilis Domino: eò quod ^{2 Sam 12,} diligenter cum Dominus. Ipsum tamen eum avenerunt mulieres: quumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos. Igitur iratus est Dominus, quod aversa esset mens ejus à Domino Deo Israēl. Neque reversionis meminerunt sacræ literæ, ut pro reprobato & damnato habeat Augustinus l. XXII cont. Faustum c. 88.

XXC. In Novo Testamento offert se Judas, qui Magistrum suum prodidit, femeū perdidit. Ille tamen de eo apud Joannem: Pater quos dedisti mihi ego custodiri, c. 17, v. 12. & nemo ex eis periret nisi filius ille perditionis. Certè si Filio à Patre datus fuit, quum daretur bonus fuit; & si è grege Filij periret, in grege antequam periret, numerabatur. Periret quoque Simon Magus, qui tamen antea Phillipo evangelizanti de regno Dei & nomine Jesu & ipse credit, & baptisatus adhærebat Phillipo.

XXCI. Paulus ad Timotheum disertè: Militia ^{1 Tim 1,18} bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam: quā expulsa nonnulli naufragium fidei fecerunt: ex quibus Hyrcanus & Alexander, quos tradidi Satanæ. De Galatis qui initio crediderant, & postea se passi fuerant seduci,

Gal. 5, 4. expressè : *Evacuati estis à Christo, à gratia excidistis. In-*
1 Cor. 5, 5. *cestuosum Corinthiacum uno loco Sathanæ tradit: alio*
2 Cor. 2, 8. *pœnitentem in Ecclesiam recipit, ut ostendat haut esse*
fatalem conditionem stantium & cadentium.

XXCII. Verè verum, quod Baptismus, *lavacrum*
Tit. 3, 5. *regenerationis & renovationis Spiritus sancti. Quod quicun-*
Gal. 3, 27. *que in Christum baptizati estis, Christum induistis.. Neque*
tamen verum, post acceptum baptismum nullos gratiam
regenerationis exutere, nullos Christum exuere. Im-
mō juxta Calvinianam sententiam filij fidelium nascun-
tur sancti: juxta eandem itaque manebunt sancti, neque
eorum quisquam unquam peccabit, unquam damnabitur.

XXCIII. Atque ex hisce constat, non esse ali-
 quod præcissum aut fatale decretum de his vel illis certis
ELECTO-
RUM NU-
MERUS. individuis ante tempora determinatè electis, in tempore
 necessariò fide donandis & in eā conservandis; adeò, ut
 eorum numerus augeri posset, posset etiam minui. Au-
 geri; si plures Dœo obsequerentur, & à Dœo ordinatis
 medijs uterentur: Minui, si pauciores. Hoc fieri posse
1 Cor. 9, 27. testatur Apostolus operam nauans, *ne forte cum alijs præ-*
dicaverit, ipse reprobus efficiatur. Illud Servator ipse,
dum inexpugnabilem pertinaciam civitatibus Galilææ
exprobans, Quod si in Tyro, ait, & in Sidone factæ essent
Matt. 11, 21. *virtutes que factæ sunt in vobis, olim in sacco & cinere pœ-*
Luc. 10, 13. *nitentiam egissent. At nunquam pœnitentiam egissent,*
licet infinites plura apud eos edita miracula, dicent Cal-
vinistæ, nisi suum fatum fatuum dicant.

XXCIV. Neutquam tamen dicimus nos, fugere
 Dominum certum numerum certorum fidem & vitam
 adprehendentium. Redargueremus enim ejus omnisci-
2 Tim. 2, 19. *entiam: ejus fundamentum, habens signaculum hoc: ἐγώ εύ-*

eū.

*Ego et tu Cas autem: ejus ipsius vocem: Ego sum pastor Jo. 10,14.
bonus & cognosco meas. Dicimus verò, neque formaliter
neque materialiter dependere ab hac scientiâ ute fato vel
decretos iye electorum sive reproborum numerum: hunc
quidem auctiorem, illum arctiorem; paucos enim elec-
tos ait, quinovit. Quippe pauci (ut & hoc ex Augustino Matth. 20,
et ceteris explicemus) in comparatione pereuntium, in suo
autem numero liberantur multi: de corrept. c. x; contra Cresc.
l. 111, c. 56; & l. iv, c. 53.*

XXCV. Quamobrem prout novit Deus, ita est,
eritque, haut aliter: neque tamen taliter propter hujus-
modi notitiam ceu. necessitantem. Nam quod produ-
citur è causis quæ variare vel deficere possunt; in seipso
naturâ & conditione suâ neque certum neque necessa-
rium est: atque adeo, quod ad utrumque se habere po-
test; non habet se ad alterutrum propter causam ali-
quam primam, sed proximam quæ secundum suum mo-
dum istius motionem recipiat. Porrò intellectus divi-
nus singula intelligit non aliter postquam sunt, quam an-
tequam fiunt: neque enim in tempore cognoscit ea, ne-
que tantum prout in causis adhuc, & aliquando erunt:
verum in aternitate, prout in esse suo determinato co-
ram ipso praesenter existunt. Quoniam verò quæ sunt,
dum sunt, certa, determinata & necessaria sunt, cognitio q;
divina unumquodq; prout est, intuetur: sequitur è dictis,
unumquodque quatenus huic scientiæ subditur, certum,
determinatum, necessarium esse, quia scilicet praesens sit;
quatenus ad suas causas comparatur; it futurum contin-
gens esse, ita quoq; aliovel alio pacto se habere posse. At-
que hinc patet de numero electorum, de quo secundum
hunc modum rectè adfirmamus, augeri posse, posse &

T 3

minui:

*de correpta minui: secundum illum itidem rectè cum Augustino:
c. 13 Certus est, nec potest minui, nec augeri.*

XXCVI. Atque ita *vulne ibus paullatim evicta supremum
Congemuit, traxitque jugis avulsa ruinam*

illa Calvinistici decreti compaginata moles, sive malis tela, quam contortuplicarint nentes fatalia Parcae stamina: nos verò protelamus ut ἀναφεραλαιώδης ad severemus, haut ita conferri fidem, ne possit iterum auferri: neque enim determinatis electorum individuis tantùm offerri, sed quibuslibet per universalem vocationem & media quorum inefficacia nequaquam in Deum regerenda, referenda utique in ipsos, qui adplicare fastidiant. Nam Deum omnibus suum Filium misisse, Filium pro omnibus ex consilio atris Psatisfecisse. Atque hinc patere quòd ad damnationem vel ejus causas neminem crearit aut destinari, sed velit salutem omnium: ideoque huic voluntati non sine extremâ impietate aliam quocunque nomine indigitetur, contrariam fingi.

XXCVII. Paulus certè in quem finem quodvis in Ecclesiâ doceri debeat, optimè docet. *Quaecunque, inquit, scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.*

2 Tim 3, 16. Et alibi: Tota scriptura divinitus inspirata, utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionemque in iustitiâ. Unde promtè colligitur, quodcumque dogma, per quod spes, consolatio, doctrina, correctio, institutio haberi nequeat, alienum esse à scripturâ, & ab ejus fine distare dicitur.

XXCIX. Ad hanc Apostolicam amissim compages decreti si exigatur, ipsa semet continuò exiget. Intellige-

telligetur enim non tantum illa non præstare, sed potius
qua cum illis pugnant ex diametro, fenestram scilicet vel
securitati vel desperationi aperire, pietatis studium exina-
nire, & demum blasphemias extortum ire. *Quid enim*
ultra speret, ait Faustus, *quem iam gratia suum fecit?* in quo lib. I, c. 4.
econtrario non desperet, *quem præfinitio violenta damnavit?*
Et quid orare homini proderit in una harum conditione consi-
tuto? Nam et si ad quam partem fuerit deputatus ignorat, utram-
que tamen partem fixam esse & immutabilem non ignorat. Et
in quo scelere necessitatem non excusat, causseturque

Sic Jovis imperia, & nigras voluisse sorores.

Deus nos ab absurdis hujusmodi opinionibus tueatur, &
in sanctâ veritate conservet.

DISPUTATIO VII.

DE JUSTIFICATIONE.

THEISIS L.

DOctrinam de Justificatione hominis coram Deo
breviter tractaturi, & ad disputandum propositu-
ri, principio ipsum vocabulum paucis explicabimus:
quod nunquam non alias, hic præcipue necessarium.

II. *Forense vero esse fortem tam manifestum est,*
ut facile negari non possit. Significat enim *justificare ju-*
stum declarare, pronunciare, reputare. *Ies. v, 23. Vae ju-*
stificanibus impium propter munera.

III. In Hebreo est קָרְבָּן à radice קַרְבָּן, cuius signifi-
catio in tertia conjugatione per *judicium & ad severa-*
tionem.

JUSTIFI-
CARE.